

ditione quando ex vi conditionis infertur quod fiet, ut si dicas: Si ignis applicetur ligno, comburet, si sol oriatur, lucebit, et similibus in quibus consequens illatum importat actionem vel existentiam a Deo impedibilem per suspensionem concursus, supponi debet decretum Dei concurrando tamquam formalis ratio in qua id cognoscitur, licet quia hoc decretum stabilitum est a Deo lege ordinaria, tamquam quid necessarium modo naturali præsupponatur. In rebus autem liberis, quia non est debitum ex lege, quod Deus semper uno modo concurrat sed potius diverso juxta contingentiam et libertatem voluntatis, ideo magis indiget decreto ad cognoscendum determinate quid fiet. Aliquando tamen conditionales quæ fiunt in rebus naturalibus non importat in consequente aliquid operationis vel existentiae novæ, sed solam sequelam unius ex alio, ut si sol lucet dies est, si homo est rationalis est risibilis, et tunc non est necesse uti decreto, sed tales conditionales pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ.

XL. Denique, probatur contra aliam explicationem supra relatam nostra sententia, quia incidit hæc secunda explicatio in majus inconveniens pro ea parte qua ponit Deum sub illa conditione videre quod ipse si vocaverit Petrum concurreret simul cum illo, et consentiet. Nam vel Deus cognoscit quod ipse concurreret in illa occasione cum voluntate humana prævidendo ante adhibitionem sui concursus conditionatam voluntatis humanæ determinationem, vel non prævidendo. Si prævidendo, ergo ante suum concursum conditionate prævisum videt Deus quid determinate volitura est creata libertas, et sic frustra laborat hæc sententia in ponendo concursu Dei præviso ut consensus hu-

manus prævideatur; si quidem ante illum etiam conditionate positum jam prævidetur, quod est destrui hanc solutionem. Si non prævidendo humanæ voluntatis concursum, Deus adhibet suum vel se adhibiturum prævidet, ergo vel temere, et fortuito conjungitur cum humana libertate ad simul eliciendum consensum, et exponit se periculo, quod frustretur ille concursus Dei, et tota ejus scientia; vel tenebitur Deus sua potentia subjicere sibi voluntatem creatam et obligare illam ut velit quod ipse vult, et hoc erit ponere prædeterminationem, quam ita abominantur oppositi auctores et dicunt illam necessitare voluntatem. Si autem Deus non sic movet, et subjicit sibi voluntatem, manifeste se exponit periculo frustrandi scientiam suam, et concursum, et fortuito, et a casu procedit: quando enim duæ causæ liberæ, quarum una non subjicit et subordinat aliam, concurrunt, nisi una præsciat quid altera factura sit, casu procedit et fortuito in conjungendo se illi, et cum periculo frustrationis, si altera nolit. Ergo si Deus dicit: Concurram cum hac voluntate si in tali occasione vocavero, et ipsa simul concurret mecum et consentiet, et non prævidet an illa concurret, nec habet modum quo illam sibi subjiciat, et subordinet ut de facto velit, periculo se exponit, ut si altera nolit, nihil fiat, vel fortuito et a casu accidet, quod illa voluntas velit id quod Deus vult.

## ARTICULUS V.

*Convelluntur fundamenta scientiæ medicæ.*

I. Magno sumptu adstructa est scientia media a suis auctoribus consumendo laborem in probatione ejus rei, quam nos non negamus,

scilicet ostendendo Deum futura ista non ignorare, ad quod grandem cumulum auctoritatum Scripturæ, patrum, et rationum exaggerant. Sed irrito conatu, et majori sonitu periculo fulminatum est. Non in hoc punctus difficultatis consistit, nec in his terminis agitur quæstio, nec coram summo pontifice de hoc controversum est. Non est difficultas de cognitione ipsa horum futurorum, sed de modo, an cognoscantur ante omne decretum Dei liberum vel post, et in ipso modo cognoscendi illa, totus scientiæ mediæ sensus deputatur. Id enim requirunt auctores ejus ad componendum libertatem nostram cum infallibilitate decretorum Dei, ut ante omne decretum prævideatur quid libertas nostra factura est, ut superveniens decretum non libertatem trahat, et determinet, sed illi obsecundet. Quare argumenta quæ ad probandum cognitionem horum futurorum deducuntur, omittimus, quia illam admittimus, ut articulo secundo actum est.

II. Totum ergo argumentorum pondus contra necessitatem decreti librandum est. Et licet possemus multa adducere, quæ impugnant hoc decretum ex eo quod libertatem nostram labefactat, commodius ea adducemus in tractatu de voluntate Dei, ostendendo dari has prædefinitiones et decreta efficacia, non lædendo, sed juvando libertatem, quia nec Deus prædecernit quod faciamus quomodocumque, sed quod faciamus libere et utrumque causat efficacia decreti. Aliquid tamen etiam de hoc in argumentis adducendis hic attingemus.

## AB AUCTORITATE ARGUMENTA.

III. Primo ergo objicitur argumentum ab auctoritate. Et auctori-

tas potissima sumitur ex illo vulgari testimonio Matth XII: *Si in Tyro: et Sidone factæ fuissent virtutes quæ in te factæ sunt, in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*, adjuncta intelligentia ejus apud Sanctum Augustinum libro de bono preseverantiæ, capit. XIV. Et ponderatio hujus testimonii fit in hunc modum: Christus prævidit pœnitentiam Tyrriorum, si apud eos prædicaret, quam dicit non fecisse Judæos tali prædicatione audita, et ob hoc reprehendit Judæos præ Tyriis, sed si illud conditionatum prævideret Deus ratione alicujus decreti habiti non posset juste reprehendere Judæos præ Tyriis, ergo necesse est quod ante omne decretum et independenter ab illo, prævideret Deus illam pœnitentiam. Minor in qua est difficultas probatur, quia si Deus prævideret Tyrios acturos pœnitentiam in vi decreti sui, hoc esset quia haberet voluntatem et decretum ut Tyrii audita prædicatione Christi converterentur dando illis efficacem prædeterminationem; quod decretum non habuit pro Judæis, nam si habuisset utique credidissent sicut Tyrii, si autem non haberet illud pro Tyriis, neque ipsi converterentur sicut Judæi, ergo nulla justæ reprehensionis ratio subsistebat. Patet consequentia, quia justa et prudens reprehensio esse non potest quæ supponit evidentem excusationem, est autem evidens excusatio, ubi non est æqualis comparatio, sed causa dispar, possent enim dicere Judæi, non esse mirum quod converterentur Tyrii si erga illos habebat Deus illud speciale decretum quod non habebat erga ipsos Judæos, si enim daret eis illud quod decreverat dare Tyriis cum sua prædicatione, etiam ipsi converterentur; sicut non posset conqueri aliquis dominus juste de uno famulo, quod non fecisset

centum aureis rem quam alius faceret mille, vel quod hora non conficeret iter, quod alius uno die.

IV. Nec potest dici quod reprehensio Domini ideo justa fuit: quia Judæi obduratiores erant præ Tyriis, et ideo impedimentum posuerunt gratiæ quam Deus daret Tyriis, qui tale impedimentum non habebant. Nam contra est, tum quia Christus non objurget Judæos propter peccata antecedentia, sed quia visa prædicatione non agebant pœnitentiam, quam illi agerent, respectu autem pœnitentiæ justa querela non erat, posito decreto pro illis, non pro istis. Tum, quia sæpius datur pœnitentia majoribus peccatoribus, et denegatur minoribus, ergo major obduratio Judæorum non elevabat justam querelam Christi, cum aliis similibus, et magis obduratis peccatoribus pœnitentiam donet. Et Tyrii etiam si majora haberent peccata quam Judæi, et haberet Deus idem decretum dandi illis gratiam efficacem, converterentur, quia illa gratia a nullo duro corde respuitur, ut Augustinus inquit libro de prædestinatione sanctorum, cap. viii, et Judæi etiam si haberent minora peccata quam Tyrii, et acciperent illam qualitatem, non converterentur. Frustra ergo recurritur ad majora vel minora peccata obdurantia, cum nihil horum obstet pœnitentiæ si datur decretum. Tum denique, quia de ipsis peccatis et obduratione majori, instauratur idem argumentum, nam Tyrii habebant minorem obdurationem, et pauciora peccata, quia Deus habuerat decretum non permittendi ipsos cadere in majora peccata, nec prædeterminandi illos ad materiale illorum peccatorum, Judæi autem habebant majora peccata quia Deus illos permiserat in ea labi, et ad eorum materiale prædeterminaverat, et tamen non præcesserat major indig-

nitas in illis, quam in istis ut in majora peccata labi permitterentur, nam de illa majori indignitate, et obduratione instaurabitur argumentum quousque deveniat ad statum omnino æqualem vel ante usum rationis, in quo non fit major dignitas in uno quam in alio, ergo ibi non erit ratio justæ reprehensionis propter majorem obdurationem, ergo non bene ad hanc rationem recurrimus, ut justæ reprehensionis querelam fundemus.

V. Confirmatur totum hoc ex D. Augustino qui in libro de bono perseverantiæ, capite xiv, hunc locum tractans de Tyriis et Sidoniis, cur ipsi converterentur ad fidem ad quam Judæi non fuerunt conversi, sic concludit: « Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant. » Ecce Augustinus sentit in quibusdam hoc esse naturale munus, ut moveantur ad fidem audita prædicatione, ergo antecedenter ad omne decretum sic prævidentur. Patet consequentia, tum quia posito decreto, non quibusdam competeret hoc munus, sed omnibus quibus tale decretum competeret, tum quia dicit hoc munus esse naturale, ergo non ratione decreti, sed antecedenter ad illum, decretum enim de quo in præsentia non est ad id quod naturale, sed ad id quod liberum, et moralem actum.

VI. Respondetur hoc argumentum non procedere specialiter contra decretum, quod nos requirimus pro scientia conditionatorum, sed etiam contra futura absoluta, et contra præsentia, et in summa contra efficaciam gratiæ ortam ex ipsa natura gratiæ secundum se; in omnibus enim potest fieri simile argumentum: Cur apprehendit Deus

peccatores qui de facto non convertuntur præ aliis, qui pœnitentiam agunt, et castigat, et damnat non perseverantes præ aliis, qui perseverant; cum utrique habere possint excusationem, quod illi qui convertuntur, et perseverant recipiunt specialem donum gratiæ, quod si ipsi recepissent etiam converterentur, et perseverarent. Imo querelæ istæ cessare non possunt nisi reducamus differentiam unius præ alio ad aliquid, quod a Deo non sit, et in quo gloriari possit coram Deo.

Et ita salvando hæc duo quod et peccatores juste reprehenduntur a Deo, et quod in nullo possumus gloriari coram illo si bene egerimus, sed omne bonum, quod facimus, vel habemus ex ipso est, oportet quod ita ex defectu nostro sit perditio nostra, quod ex dono Dei speciali sit ipsum bene velle, et perficere. Et ideo Apostolus hanc eandem objectionem ponens utpote in hac materia molestiorem, noluit eam solvere, sed reprehendere. Cum enim dixisset ad Rom. ix: *Ergo cuius vult miseretur et quem vult indurat*, statim subjunxit objectionem dictam: *Dicis itaque mihi quid adhuc queritur* (id est, conqueritur) *voluntati enim ejus quis resistit?* Quasi dicat: Quid queritur, vel reprehendit nos quod ei restiterimus, non convertendo nos, nam si ipse vellet nos convertere, et non indurare, non resisteremus, ergo voluntati suæ id deputet, non nobis. Ecce tota ratio injustæ querelæ, quasi non possit Deus conqueri de peccatoribus, quia noluerunt converti si non dedit gratia efficacem ex natura sua, quam dedit illis, qui conversi sunt; sed solum tunc possit conqueri, si gratia ex se sit æqualis, nostra autem voluntate, efficax reddatur, aut inefficax; hæc est tota vis argumenti facti, et est tota vis objectio-

nis positæ ab Apostolo. Et quidem si tam facilis est solutio sicut inventa est post tot tempora a defensoribus scientiæ mediæ, videlicet quod gratia non est efficax ex natura sua, nec antecedenter ad nostrum consensum, sed per denominationem ab illo præviso desumptam, quomodo latuit Apostolum tam facilis solutio (si vera esset) qua quietaret nos, aut indicare noluit, dicendo, juste queritur Deus, quia vos voluntati ejus resistitis et non vultis gratiam ejus reddere efficacem, alii autem nullo majori dono gratiæ accepto quam vos, non restiterunt. Non autem hoc dicit Apostolus, sed reprehendit argumentantes dicens: *O homo tu qui es respondeas Deo?* Utique sentiens non esse scrutandam a nobis profunditatem hanc, nec ad solam differentiam nostræ voluntatis, seu consensus prævisi, vel dissensus reducendam. Nam ut optime monet S. Prosper i de vocatione gentium, cap. xxv: » Profunditas illius questionis quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle, vel nolle non solvitur. Quantumlibet enim impiorum malignitas accuseatur resistens gratiæ Dei, numquid probabuntur, eam quibus est collata, meruisse? Aut illa virtus gratiæ, quæ sibi quos voluit, subdidit, convertere eos, qui inconvertibiles permansere non potuit? Si ergo non solvitur hæc difficultas per nostrum velle, vel nolle numquid volvetur per velle, vel nolle sub conditione prævisum, ut ab ejus denominatione dicatur efficax gratia, et dicatur Deus habere justam querelam, et reprehensionem de his, qui restiterunt voluntati ejus? Et quomodo poterit Apostolus vel potius Spiritus Sanctus per os ejus tantam profunditatem in hoc mysterio significare, si tam facile posset per nolle

aut velle nostrum sub conditione prævisum id explicare? Signum ergo est non in hoc consistere explanationem hujus quæstionis, et potius non modice scientiam mediam infirmari, si inter præcipua fundamenta assumit, quod Apostolus pro objectione ponit et redarguit; quodque ab Augustino toto libro de correptione et gratia diluitur, et expugnatur, occasione enim similis argumenti ab ipso est editus, scilicet quare corripiendi sunt peccatores, si a gratia donari debeat ipsis ut faciant.

VII. Ad argumentum de Tyriis et Sidoniis indubitate cum D. Augustino et Prospero tenendum est illos convertendos, si prædicaret eis Christus ex dono Dei efficaci, quod si dedisset Judæis etiam converterentur. Est expressa solutio D. Prosperi in responsione ad excerpta Genuesium dub. viii: « De Tyriis, et Sidoniis, inquit, quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum, ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit si talia qualia apud non credentes facta sunt virtutum signa vidissent? » Et infra: « Et non solum Tyrios, et Sidonios, sed etiam Corazain, et Bethsaida potuisse converti, et fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus voluisset operari. » Ecce reducit hoc Prosper ad negationem donationis Dei, et operationis ejus ut crederent, quod tamen donum Tyriis daret, ergo ex dono Dei converterentur Tyrii, quod si dedisset Judæis, etiam ipsi converterentur. Et Augustinus libro de bono perseverantiæ c. xiv: « Non erant ergo sic exæcati, et sic induratum cor Tyriorum et Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent, sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædestinati non erant, nec istis obfuisse quod non poterant credere si prædestinati essent, ut eos Dominus illumina-

ret, et induratis cor lapideum vellet auferre. » Et infra: « Audiant, sive non audiant, quibus non datum est. » Fatetur ergo Augustinus aliquid datum esse his, qui faciunt præter auditionem prædicationis, quod non datur his qui non faciunt, etiam si audiant prædicationem. Et quod Judæis aliquid defuit, quod non datum est eis a Deo, scilicet quod prædestinati non fuerunt, quod si essent et Dominus vellet eis cor lapideum auferre, utique de facto crederent, sine qua prædestinatione, et dono nec Tyrii crederent.

VIII. Ad replicam: Ergo injuste reprehenduntur Judæi præ Tyriis, nam ista replica solvenda est ab Augustino et Prospero, qui sic responderunt. Et sub eorum disciplina a nobis, qui per eorum semitas in profunditatibus gratiæ optamus incedere. Negamus consequentiam. Et dicimus non fundari reprehensionem in æqualitate donorum ex parte auxilii efficaci, sed solum in æqualitate ex parte sufficientis quod dat virtutem, et facultatem, non autem applicationem. In ratione autem sufficientis auxilii, aut æqualiter, aut plus receperunt Judæi, quam Tyrii. Ratio autem hujus est, quia obligatio ad operandum inducitur ex sufficienti auxilio, ex efficaci autem non inducitur obligatio, sed impletio, quia efficax non dat virtutem nec posse, sed applicationem: sufficiens autem dat posse, inde vero sequitur obligatio. Reprehensio autem fundatur super obligatione et posse, quia inde sequitur culpa, si non faciat, propter culpam autem fit objurgatio. Defectus autem efficaci auxilii non est defectus alicujus pertinentis ad virtutem, et potentiam, nec excusans culpam. Unde etiam respondemus, non posse esse evidentem excusationem in Judæis ex eo, quia possent dicere se non credere, quia non acceperunt

illud donum, quod daretur illis Tyriis: tum quia non accusantur de sola negatione credendi, sed de privatione, et culpabili respicientia fidei sufficienter propositæ, ut autem aliquis culpari possit et peccatum incurrat, sufficit quod ei detur sufficiens auxilium quo possit, etiam si non habeat efficax quo applicetur, ut faciat: propter hanc autem culpam respuendi fidem, juste reprehenduntur Judæi: tum etiam reprehenduntur, quia obstinatione sua, et excæcatione impedimentum posuerunt illi dono efficaci auxilii. Unde non tenet exemplum de servo, qui objurgaretur injuste si non faceret centum aureis, quod alius faceret mille; si enim accipiendo centum aureos non solum non faceret quod alius cum mille, sed etiam ipsos centum respueret, et a se ejiceret, sicque indignum se præberet recipiendi mille, nonne justissime objurgaretur? Si autem fuerunt Judæi, qui prædicationem, et miracula ad fidem quasi centum aureos respuerunt, et excæcatione sua indignos se præbuerunt ad mille, quos reciperent Tyrii, si apud eos prædicatum esset, et ideo juste præ istis reprehenduntur. Deinde, dicimus quod in ratione sufficientis auxilii Judæi tantum receperunt, quantum Tyrii, et forte plus, et ideo non est justa comparatio servi accipientis centum, et alterius accipientis mille, cum in præsentem utriusque paria acceperint in ratione auxilii sufficientis, quod vero non acceperint Judæi, donum efficax, quod acceperunt Tyrii, hoc non pertinet ad id quod est virtutis, et facultatis, sed ad id quod est applicationis. Reprehensio autem non fundatur nisi in receptione æqualium donorum ex parte virtutis et facultatis, non ex parte applicationis, quæ solum pertinet ad impletionem actualem, non ad obligationem implendi.

IX. Et ad primam replicam contra hanc responsionem dicitur Judæos non reprehendi propter præterita crimina, sed propter præsentem obdurationem, et respicientiam fidei, et sic erat justa querela, sive enim obstinatio illa, et obduratio ea a præteritis peccatis traheretur, sive non, tamen quod in præsentem daret Deus sufficiens auxilium, quo possent converti si vellent, licet non daret ipsum velle, hoc ipso peccabant non credendo, et sic erat locus justæ querelæ, quia in ipsis erat locus culpæ; ad quam non requiritur quod utrisque daretur idem decretum, quoad velle efficaciter, et de facto, sed sufficit quod daretur utrisque sufficiens auxilium, et quidquid se tenet ex parte ipsius posse, in hoc enim fundatur obligatio, non ex parte ipsius velle in quo solum fundatur impletio. Quia ergo de præsentem peccabant, reprehenduntur, et Deus conqueritur, non propter sola præcedentia peccata.

X. Ad secundam instantiam respondetur quod etiam si aliquando detur gratia majoribus peccatoribus prætermittis minoribus, hoc est ex abundantia divinæ pietatis, quod non tollit, quin juste reprehendat et vindicet etiam minus peccantes, quia actu peccant respuendo fidem, vel conversionem in Deum. Et Tyrii etiam si habuissent majora peccata, non est dubium, quin converterentur, si Deus decrevisset illis dare pœnitentiam, eosque prædestinare sicut et ipsi Judæi, ut dicit Augustinus. Nec tamen frustra recurrimus ad majora peccata, et obstinationem, quia licet Deus possit illam vincere ex misericordia sua, tamen etiam potest juste punire, et reprehendere, sicut propter peccatum originale potest multos parvulos reprobare, licet ex misericordia sua possit multos salvare, et de facto salvet. Numquid ergo frustra recurri-